Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1225
Quelle:
Copyright:

tiar. Petri Lombardi, praevia tamen Quaestione: *Vtrum sacra Theologia sit scientia.* Autorem praestare non possum, quamvis in ora supera legere mihi videar: *Super sententias ex parte M. Henrici de Parisius*, qui tum fortasse *Ganduvensis* esset Theologiam diu *Parisiis* professus.

II. *fol.* 26. succedit Series Quaestionum in L. II. *Sententiar.* praevia tamen iterum Quaestione: *Vtrum essentie rerum creatarum sint ab eterno.* Nam Quaestio II. ita incipit: *Circa principium secundi libri Queritur primo vtrum mundus possit fuisse ab eterno.* Videtur ejusdem Autoris continuatio.

III. *fol.* 46. Series similis hujus initii: *Queritur utrum congruum fuit filio dei incarnari* &c. Ad calcem habetur: *Explicit Tercius liber.* Adjectum *thome* ab alia manu, sed minio deletum, et recte; non enim, ut collatio docet, *Thomae* est in III. *Sententiar.* sed Defloratio *Partis III. Summae* illius Theologicae.

IV. *fol.* 63. Series similis in L. IV. quae incipit: *Vtrum post lapsum primi hominis fuerit necessarium institui aliqua sacramenta*, et ad calcem habet: *Explicit quartus liber.* Difficile est in tanto *Sententiariorum* numero, quorum multi prelum nunquam subierunt, Autorem dispicere.

V. *fol.* 81. alia Commentaria in eosdem *Libros*, quorum initium: *Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate &c.* ita *Lombardus* Libro suo I. praefatur, et Noster prosequitur: *Liber iste generali sui divisione diuiditur in 3 (2) partes. in partem prohemialem et in partem executiuam* &c. Ita proceditur usque ad L. III. *Dist.* 26. *De Spe*, in qua Codex abrumpit nullibi Commentatoris indicato nomine.

VI. *fol.* 105. ab alia manu redit illa Defloratio *Partis III. Summae*, quam indicavi N°. III. subscripta: *Explicit tertius Thome.*

VII. *fol.* 127. nova Quaestionum Series, cujus initium: *Circa librum sententiarum primum et primo circa prologum* &c. Pervadit etiam *Librum* II. usque ad *Dist.* 24. in qua Scriptor abrupit.

VIII. *fol.* 166. absque Autoris indicio: *Super 4. sententiarum.* Initium: *Fundamentum primum iaspis. 2m saphirus* &c. Ad *Landulphum Caracciolum* O. M. *Scotistam* pertinent haec Commentaria jam alias hoc *Vol.* a me relata, ut Index docet. Codicem hunc ab *Henrico de Hassia Parisiis* ad nos delatum fuisse suadet Versiculus fronti praefixus:

Compleat inceptum sancta Maria meum;

hunc enim passim Scriptis suis imponebat.

DXXXIII.